

finalis Judicii sententiam in eo præcipue consistere, ut per illam fiat universalis separatio bonorum ab impiis, quæ utique idem judicium non præcedit; præterquam quod electorum remuneratio in judicio particulari perfecte non adimpleatur, quia etiam boni amplius post Judicium præmiabuntur, tum ex gloria corporis adjuncta, tum ex numero Sanctorum completo; et mali etiam plus torquebuntur, ex adjuncta pœna corporis, et impleto in penis numero damnatorum; quia quanto cum pluribus ardebant, magis ardebunt. Ad tertiam objectionem respondet; quod Judicium universale directe magis respiciat universalitatem generis humani, quam singulos homines in particulari; quamvis ergo cuilibet homini ante Judicium erit certa notitia de sua damnatione vel præmio, non tamen omnibus hominum damnatio vel præmium innotescit; unde Judicium universale necessarium erit. Judicium enim et processus, qui fabricatur, nec non sententia uniuscujusque animæ in particulari, quæ in puncto mortis in particulari judicio pronuntiatur, aliis est ignota, quia solum absolvitur inter Deum et animam, ejusque Angelum custodem, ac proinde divina justitia merito disposuit, ut tandem veniat tempus, in quo in conspectu omnium manifestetur singulorum processus, appareatque equitas ejus, sive in absolutione, sive in condemnatione; siquidem judicium Domini vera, justificata in semetipsa. S. THOM. in suppl. III, p. q. LXXXVIII, n. 1.

Nosse debet, cur dies Judicii dies magnus vocetur, id quod Paulus de Palatio declarat dicens: Vocatur ille dies magnus, quia fiet in eo maxima mirabilia, conflagratio mundi, tubarum sonitus, mortuorum resurrectio, Angelorum cum Christo descensus, Christi cum omnibus Sanctis adventus, judicium omnium, supplicium damnatorum, gloria beatorum. PAULUS DE PALAT. in Joel.

Nosse debet, quomodo notitia omnium operum ejusque omnibus sit communicanda, qua in re notanda est doctrina Sancti Thomæ, qui habet pro inconvenienti, quod legatur aliquis liber materialis in judicio, in quo facta singulorum sint scripta; eo quod nullus valeat æstimare illius libri magnitudinem, vel quanto tempore legi posset; sed similiter etiam non posset æstimari tempus, quantum oportet ponere ad considerandum omnia merita, et demerita sua, et aliena

ab aliquo homine, si successive diversa videant. Ac proinde Doctor Angelicus expedite dicit, ut unaqueque anima in brevissimo tempore omnia videat. Unde hanc statuit conclusionem: *Elsi in instanti aliquis visurus non sit ngula, tamen brevissimo tempore, auxilio divinæ virtutis, omnia particularia considerabit.* Albertus Magnus eidem quoque opinioni subscribit, inquit: *Liber apertus est, id est, quædam vis divina, ostendens unicuique facta sua.* S. THOM. III, p. q. LXXXII, a. 5.

Nosse debet, quod Sanctam Brigittam Christus die quadam interrogavit: Potes quærerere, si in omni justitia habeo misericordiam, quomodo misericos sum in damnatos? Et respondet ei adducta similitudine judicis alicujus, pro tribunali sedentis, coram quo dilecti fratris sui causa agitur; hic enim, si iudex rectus sit, fratri suo utique dicit: Tu frater meus es, et ego iudex tuus, et licet te intime diligo, tamen non potero, nec deest facere contra justitiam. Tu vides omnem justitiam in conscientia tua secundum merita tua, secundum hanc oportet te judicari. Perque hanc similitudinem Christus Sanctæ Sponsæ demonstrabat, quod licet ipse per assumptam humanitatem frater noster sit, attamen ut iudex constitutus, necessario juxta merita et demerita nostra judicare debet. Rev. S. Brig. I, II, c. II.

Nosse debet, cur Christus in humana natura judicaturus sit; ejus varie assignantur rationes. Primam affert S. Thomas, dicens: Cum ultimum Judicium hanc ob causam ordinetur, ut boni recipiantur in Regnum celeste, mali vero ab eo areantur, congruum est, ut Christus secundum humanam naturam sit Mundum judicaturus, cujus redemptionis beneficio ad Regnum celorum admittitur. S. THOM. q. XC, suppl. ar. 1, ad. 3. Secundam affert S. Antonius de Padua dicens: *Ad ostendendam celsam potentiam, qui enim in forma hominis judicatus est, ne videretur hoc passus esse impotentiam, ideo in tali forma judicabit, juxta illud: Ut vincas, cum judicaris.* S. ANTON. PAD. ser. in Dom. 2 Quadrages. Tertiam S. Augustinus sequentibus verbis indicat: *Cum enim boni et mali visuri sunt Judicem vivorum et mortuorum, procul dubio cum videre non poterunt mali, nisi secundum formam, qua Filius hominis est, sed tamen in claritate, in qua judicabit, non in humilitate, in*

qua judicatus est. Cæterum illam Dei formam in qua æqualis est Patri, impij cum non videbunt; non enim sunt mundi corde. S. AUG. lib. I, de Trin. c. XIII. Quartam assignat idem dum ait: *Forma illa erit Judex, quæ stetit sub iudice, illa judicabit, quæ judicata est; judicata est enim inique, judicabit justo; veniet ergo forma servi, et ipsa apparebit.* Idipsum quoque in alio quodam sermone replicans, adjungit: *Audite, et intelligite. Jam hoc Propheta dixerat: « Videbunt, in quem pupugerunt; » ipsam formam videbunt, quam lancea percussurunt. Sedit Judex, qui stetit sub iudice.* Idem, tr. XX, in Joan. et s. XCIV, de Verb. Dom. c. VII. Quintam S. Ant. Pad. exhibet, dum ait: *Christum in forma humana judicaturum, ad exhibendum et exercendum gratiam elementiam, ut sit manifestum, quod in misericordia judicabit, puniendo citra condignum. Idcirco veniet in forma humana, ut ex his, quæ passus est, discat misereri.* S. ANTON. PAD. l. c. Sextam deinique affert S. Bernardus, dicens: *Denique ipse Pater Deus dedit Filio judicii potestatem, et non quia suus, sed quia Filius hominis est. O vere Patrem misericordiarum! vult per hominem homines judicari, quo in tanta trepidatione et perturbatione malorum, electis fiduciam præstat naturæ similitudo.* S. BERN.

Nosse debet causas, cur diem ultimum hominibus absconditum esse voluerit Deus; nimirum ob plures rationes, quas Sanctus Bernardus, affert, dum ait: Talis dies debet abscondi, sicut et mortis, ex multiplici ratione. Primo, ut semper timeant. Secundo, ut semper se præparent ad diem illum, tanquam de proximo imminentem. Tertio, ut tam in hoc, quam in plerisque aliis ignorantibus se noscant, quod quidem est perutile ad superbiam comprimendam. Quarto, ut arcana divinorum judiciorum magis reveantur. Quinto, quia non deest, Dei secreta indignis et indispositis revelari. Sexto, ad non impediendum opera et tempora præscita, vel præordinata a Deo. Septimo, ad excecandum reprobos talium temporum, et ad hoc tale judicium Dei veniet super eos subito et improvise. S. BERN. tom. II s. XI, a. 1, c. III. Eandem quoque difficultatem S. Hilarius in hæc verba discutit: *Cur autem diei scientia abscondita sit, non in obscuro est; namque cum monet nos irremissa fides intentos semper manere, securitatem*

cognitionis ademit, ut pendule expectationis incerto mens sollicita, festinans, et adventus diem semper expectans, semper expectando speraret. curamque pervigilem incertum ipsum, non ambigendi tamen temporis detineret. S. HILAR. de Trin. s. IX, f. 80.

Nosse debet, quo ratione verum sit illud dictum Christi: (Marci 13.) De die autem illa, vel hora nemo sit, neque Angeli in celo, neque Filius, nisi Pater. Quibus verbis Christus fateri videtur, quod ne quidem ipse sciat, quando ad Judicium universale sit adventurus. Verumtamen idem Sanctus Pater Sanctum Hieronymum allegat, prædictum textum in hæc verba exponentem: *Cum omnia tempora fecerit Jesus, hoc est, Verbum Dei (omnia enim per seipsum facta sunt) in omnibus autem temporibus cum dies Judicii sit, quæ consequentia esse potest, ejus ignorare partem cujus totum novit? Numquid Deus Pater cognitionem illius diei Filio denegavit, cum dicit: « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo? » Ergo non omnia, si est aliquid, quod negatur. Tandem idem Sanctus Bernardus per auctorem Sancti Augustini concludit: *Dicitur Christus secundum Augustinum. illum nescire diem, quia non facit homines scire.* S. BERN. l. c. e. 1, allegans S. Hier. et S. Aug.*

Nosse debet, cur Christus toties per Prophetas diem Judicii prædicit, et ipse etiam de ejus adventu monere voluerit, nimirum, teste S. Augustino: Propterea se Judex venturum minatur, ut non inveniat, quos puniat, cum venerit. Propterea illud cantant Prophetæ, ut corrigamur; si damnare vellet, taceret. Unde et apud S. Lucam, cap. XXI, interrogantibus discipulis: Quando hæc erunt, et quod signum, cum fieri incipient? Magister celestis, qui Judex ipse futurus erat, ad perpetuam memoriam in Evangelio signa aperte revelavit, quæ Judicium præcedunt, diemque illum novissimum, infallibiliter eventurum, maximis, indubitatis, adeoque manifestis declaravit verbis, ut Glossa, seu interpretatione, non indigeant ulla. S. AUG. s. CIX de Temp. Quapropter et Sanctus Gregorius in quadam homilia, quam frequenter in Officio divino de communi plurimorum Martyrum legitimus, ita sermocinatur: *Domini ac Redemptor noster perituri mundi præcurretur mala prænuntia, ut eo minus perturbentur venientia, quo fuerint præscita; minus enim jacula ferunt,*

quæ prævidentur, et nos tolerabilis mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. S. GREG. hom. xxxiii, in *Evang.* Sanctus Thomas Villanova eadem in materia subtilem hanc insituit contemplationem, quod scilicet alia fidei mysteria in Scriptura Sacra nonnisi a paucis fuerunt prædicta Prophetis; non item Judicium finale, de quo tam vetus, quam novum Testamentum clarum, patensque perhibent testimonium, prout ex textibus colligere licet supra adductis. Quinimo infallibilis cœli providentia secundum hunc Filii Dei iudicaturi adventum ipsis etiam Sybillis revelare voluit. Id quod obstupescens dictus Sanctus Præsul, ad Deum conversus, quærit: Quare hoc, Domine? respondetque: Nempe ut nullus in Judicio reus ullam tanti examinis futuri ignorantiam obtendat. S. THOM. VII. conc. in *Dom. 1 Adv.*

Nosse debet, cur Christus dixerit, se in Judicio solius misericordie exercitæ rationem excuturum; ad quod dubium Euthymius sic respondet: Ab hæc sola justos homines digno præmio voluit, peccatores supplicio. Non quod cætera vel iustorum bona opera, vel peccatorum delicta sine examinatione, vel discussione relinquenda sint; omnium siquidem cuncta inquiret, et opera, et verba, et cogitationes, ut ipsemet frequenter sua doctrina manifestavit, sed nunc de sola hæc virtute disserit, confirmare volens, quod hanc maxime requirit, et hanc præ omnibus expetit, utpote Christianis maxime necessariam, eujuseumque enim Christiani insigne, quo cognosci potest, est dilectio; hujus autem optima pars est pauperum amor, et erga proximum misericordia et compassio. EUTHYM. cap. lxi *Matth.*

Nosse debet, cur in citato Judicii processu referendo Christus nullam mentionem operum misericordie spiritualium, quæ perfectiora sunt, fecerit. Dubium hoc Abulensis ventilat, inter cuius varia responsa, sequentia ad nostrum in primis deserviunt propositum, quando ait: Opera misericordie spiritualia sunt majoris difficultatis, ad talia non statim aspirant imperfecti; corporalia possunt pertinere ad omnes, spiritualia non. Christus voluit ponere causam salutis nostræ esse cuilibet facilem. ABULENS. q. xxxviii, in cap. xxy *Matth.*

Nosse debet causas instituenti Judicii, quas quidem ex triplici fonte desumit P. Mathias Faber. 1. Ex parte Dei, ut justitia il-

lius appareat; hinc Apostolus monet: Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum. 2. *Ex parte Christi, ut ei honor ablatus publice restituatur, et compensetur judiciaria potestate.* 3. *Ex parte judicandorum, ut quisque completam mercedem, tam quoad corpus, quam quoad animam recipiat.* Hinc iterum Apostolus monet: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit. FAB. con. ii, in *Festo S. Nicol.* et I COR. v, 10.

Nosse debet timorem Judicii fructuose usurpare, et per eundem se ad perfectionem extimulare. Qui quidem fructus in duobus præcipue consistit. 1. Ut non existimet, sibi timorem hunc ideo deponendum, quod viam purgativam superari, sed potius meminere doctrinæ, quam S. Gregorius hæc in parte dedit, dicens: Quanto quis sanctius vivit, tanto cautius expandit, quam districtus adveniat æternus Jdex. Ita suum ipse terminum quotidie prospicit, et ante severitatem tantæ Justitiæ, quas rationes vitæ sit positurus, attendit. (S. GREGORII, l. xxiv *Dial. c. vii.*) 2. Ut noverit apte misericordie et justitiæ considerationem miscere, juxta S. Augustini consilium, dicentis: Nemo ad impunitatem sibi de misericordia Dei blandiatur, quia est Judicium. Et nemo in melius commutatus exhorreat Judicium Dei, quia præcedit misericordia Dei. S. AUG. in *Ps. c.*

Nosse debet dignam de hoc Judicio estimationem concipere, eumque in finem tria præcipue perpendat. 1. Multitudinem rerum, de quibus est reddenda ratio, quas quidem ad quatuor species revocat Besseus, dum ait: Jdex inquiet: Redde rationem villicationis tuæ de quatuor villis: *Mundi* cum rebus creatis; *Corporis* cum suis sensibus; *Animæ* cum donis suis et gratis; *Crucis* cum SS. Sacramentis. 2. Judicis examen et inquisitionem accuratissimam et severissimam. Ubi merito quisque exclamat: Quid sum miser tunc dicturus? Quem Patronum rogaturus cum vix justus sit securus? 3. Gravissimam estimationem, quam Jdex de rebus in judicium tractis formabit, ratione cuius etiam justitias judicare dicitur. FAB. conc. vi, in *Dom. XXI, post Pent.*

Nosse debet solidum modum esse præparandi ad hoc Judicium, qui quidem in tribus præcipue consistit. 1. Ut semper paratus sit, eum semper dicere possit cum Job: Nescio

quamdiu subsistam, et si post modicum me tollat Factor meus. (JOB. xxxii, v. 22.) 2. Ut semper conetur esse in gratia, juxta Siracidis consilium: Ante obitum tuum operare justitiam. (ECCL. xiv, v. 14.) 3. Ut extraordinariis obsequiis Judicem sibi conciliare conetur, qualia præcedenti §. non pauca sunt indicata. Præcipue vero ut ad quæstiones a Jdico proponendas se præparet, videlicet an charitatem Dei et proximi servaverit, diligens Deum ex toto corde, anima, viribus et fortitudine, et proximum sicut seipsum dilexerit, atque adeo esurientes paverit, sitientes potarit etc. O quam diligenter ad quæstiones proponendas examinandi se præparent, si quæ proponendæ sunt, ante examen cognoscere!

*Nosse debet et cavere, ne si forte grandia ante conversionem peccata commisit, non nimium angatur, sed potius credat, etsi illa toti orbi manifestanda sint, ut Lessius et alii probant, ac Scripturæ conformius putant, ea tamen non in pudorem, sed ad magnam Dei glorificationem, propriamque congratulationem cessura, ut S. Anselmus docet aptaque similitudine demonstrat, dum ait: Non tunc pro peccatis tuis te major angustia premet, scelerumque tuorum magis pudebit, quam aliquem olim magnis vulneribus sauciatur, jamque ex omni parte sanatum, aboliti sanguinis molestia premit. Vel numquid eorum, quæ in cunis positus infans egerat, nunc grandævum pudet? Tunc quippe, cum integra sanitas, perfecta munditia, plena remissio, securæ omnium offensionum impunitas tibi certo arriserit, cognitio vel recordatio peccatorum tuorum in nullo tibi magis horrore esse vel confusio valebit, quam est modo B. Petro Apostolorum Principi abnegatio sua, vel B. Mariæ Magdalene peccata sua. Verum super hoc agnitis delictis, velut in enormi ac fœda infirmitate sua pietas, virtus, sapientia Medici, qui te sanavit, sublimis a cunctis admirabitur, laudabitur, magnificabitur; laus autem et magnificentia gloriæ Dei, tua, si bene advertis, gloria est. S. ANS. serm. de *Beat.**

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Fugite a facie gladii, et scitote esse judicium; » (JOB. x, v. 19) potest narrari, quod Tamerlanes, Tartarorum Princeps, fecisse dicitur, si civi-

tatem oppugnavit, quod scilicet prima die tentorium, seu, ut alii volunt, vexillum album erigi jussisset, in signum securitatis et pacis, si obsessi se dederent. Secundo die rubrum in signum cædis futuræ, nisi illa die parerent. Tertia nigrum, quo significabat urbem penitus vastandam, si tertia adhuc die resistere vellet. Ostendatur deinde, eundem morem Deum servare, ut qui prius per vexillum album, id est, prosperitatem et beneficia ad deditonem conatur movere hominem. Si hoc non proficiat, vexillum rubrum expandit, id est, tribulationes imittit. Et tandem si neque sic flecti se sinat, nigrum vexillum ultimæ sententiæ ipsi obvertit, et extremam calamitatem infert; quæ omnia facile aptis exemplis confirmari possunt.

Ex occasione thematis: « Sicut fulgur exit ab oriente, ita erit adventus Filii hominis; » (MATTH. xxiv, v. 27) potest extremum Judicium tempestati comparari. Et 1. ostendi, quomodo peccata, velut exhalationes, ascendant in altum, et ibi includantur in nube, id est, Christo, eamque percussant, unde postea tonitru, id est, admonitio Dei, et sonus tubæ Angelicæ producitur, sequitur fulgur, id est, adventus Christi Judicis, vel ignis antecedens Christum; et tamen fulmen sententiæ ultimæ, quæ vere est fulmen urens corpus et animam; *denigrans*, id est, perpetuam infamiam inducens; et *dissipans*, id est, separans justos ab injustis. 2. Ostendatur, quæ media contra hanc tempestatem adhibere debeant, scilicet ut vel sub laurum, id est, Beatissimæ Virginis patrocinium confugiatur; vel subter terram se quis abscondat, id est, per humilitatem et penitentiam, se coram Deo humiliet; vel crucem Hispanicam pectori appendat, id est, tribulationes multas propter Christum patiat.

Ex occasione thematis: « Tum qui in Judæa sunt, fugiant ad montes; » (MATTH. xxiv, v. 16) possunt ostendi varii montes, ad quos confugere debeant, qui judicium malum effugere volunt, nempe: 1. Ad montem *Penitentia*, juxta illud S. Joannis: Progenie viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos penitentia. (JOAN. III, v. VII.) Hinc S. Chrysologus ait: Currat penitentia, ne præcurrat sententia; ne judicemur, iudices nostri simus. (S. CHRYS. hom. clxvii.) 2. Ad montem *Orationis*, juxta illud

Christi: Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ ventura sunt, et stare ante Filium hominis. (LUC. XIV. 36.) 3. Ad montem *Misericordiæ*; nam fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam. (TOB. IV. v. 12.) 4. Ad montem *Tinoris*, maxime circa hoc iudicium ad D. Hieronymi exemplum occupati; scriptum est enim, timenti Dominum bene erit in extremis. (ECCLES. I. v. 13.) Hinc Abbas Amon cuidam Fratri postulanti sermonem utilem, dixit: Vade, et fac talem cogitationem tuam, qualem faciunt illi, qui sunt in carcere. Illi enim interrogant homines, ubi est iudex, et quando veniet? et in ipsa expectatione poenarum suarum plorant. Sic etiam debes animam tuam objurgare, dicens: Vae mihi, si non cogitavero, quomodo habeo astare ante tribunal Christi, et actum meorum reddere rationem! Si sic semper meditatus fueris, poteris salvus esse. Hoc consilium secutus Cæcilla, Episcopus Merciorum in Anglia, quoties tonabat aut fulgurabat, aut vehementior procella ingrebat, diem iudicii cogitabat, et misericordiam divinam humano generi propitiare conabatur. Hinc ab Angelis de obitu suo præmoneri meruit septem ante mortem diebus. (V. BENA. *Hist. Ang.* I. IV. c. III.) 5. Ad montem *Calvarie* seu *Passionis Christi*; ad exemplum illius Monachi, qui, quoties crucem transibat, Christum per angustias mortis sue rogavit, ut sibi quoque in extremo mortis articulo adesse, et propitius esse dignaretur, meruitque sine Purgatorio hinc ad cælum transire. Nam, ut S. Augustinus dixit: Nihil tam ad mortem amarum est, quod meritis Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei, mors ejus meritum meum, refugium meum, salus, vita, et resurrectio mea; meritum meum miseratæ Domini; non sum meritis inops, quamdiu ille miseratæ Domini non defuerit. 6. Ad montem *Patrocinii B. Virginis*; nam ipsa, teste S. Bernardo, ut Advocata nostra, ut iudicis Mater, et ut Mater misericordiæ, efficaciter salutis nostræ negotia tractabit. (S. BERN. *Med. c. II.*) Hinc S. Anselmus dicere solebat: Sicut a te despectus et aversus, necesse est quod peccat; sic ad te reversus, et a te respectus, impossibile est quod peccat. Filioi, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ. Videri potest de

hæc materia fusius discurrere Faber, cit. conc. v. in *Dom. 21, post Pent.*

Ex occasione thematis: «Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum,» (LUC. XII. v. 35) potest explicari, quomodo quisque ad futurum iudicium se præparare debeat, nimirum. 1. *Lumbos præcincto*, id est, desideria rerum terrenarum constringendo, ut nihil in via salutis et perfectionis impediatur. 2. *Lucernas ardentes ferendo*, nempe charitatem Dei et proximi, non verbo dumtaxat, sed opere monstratam. 3. *Expectando Dominum*, id est, semper in oculis et mente habendo adventum ejus, et præmia, quæ iustis, et supplicia, quæ peccatoribus decernit. Venit quippe Dominus, inquit S. Gregorius, cum ad iudicium properat; pulsat vero, cum per ægritudinis molestias mortem esse vicinam designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus; aperire enim iudicii pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, et videre eum, quem contempsisse se meminit, iudicem formidat. Qui autem de sua spe et operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia letus iudicem sustinet, et cum tempus propinque mortis advenit, de gloria retributionis hilarescit. S. GREG. hom. XIII, in *Ev.*

Ex occasione thematis: «Exibunt Angeli et separabunt malos de medio iustorum,» (MARTH. XIII. v. 49, *Ev.*) ostendi potest, quam acerba sit hæc separatio futura ob quinque effectus, quos in corde malorum producet, nempe 1. *Ob stuporem*; nam, ut Sapiens ait: Mirabuntur in subitanea insperatæ salutis dicentes intra se: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum etc. ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. (SAP. v. 2.) 2. *Ob livorem*; videbit enim peccator gloriam electorum, et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet. 3. *Ob pudorem*; implebitur enim in istis, quod Deus in Deuteronomio prædixit Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior; tu autem descendes, et eris inferior; ipse erit in caput, et tu eris in caudam. (DEUT. XXVIII. v. 43.) 4. *Ob dolorem*, quem sentient, si se videbunt a Deo, Sanctis, carissimis amicis, ipsaque felicitate æternam separari. 5. *Ob timorem* securæ sententiæ, et detractionis ad æternos carceres et supplicia. Hortetur proin, ut hos effectus in quinque digitis describant, et

in dextre manus digitis alios quinque effectus in electis producendos, scilicet gratulationem, exultationem, gratiarum actionem, exaltationem, expectationem. Quæ videri possunt fusius apud Fabrum, conc. III, in *Dom. 3, Adv. num. 2.*

Ex occasione thematis: «Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet;» (MARTH. XXIV. v. 21) potest horridus processus iudicii per sequentem Parabolam explicari. Die quodam vis vesperem vir opulentus et magni nominis cum familia secesserat in villam omni suppellectile et deliciis abunde instructam. Ubi tamen dum hilari convivio se recreat, famulus quidam perditus tam ipsi, quam conservis lethargum miscuit. Dum autem sic gravissimo sopori sunt immersi, laveriones et prædones in domum immittit, qui eam totam expoliantes, dominum quoque ipsum velut mortuum exportant, et campo medio depositum destituunt. Interea cælum foedis tempestatibus miseri, micare fulgura, mugire tonitrua, nimbi præcipitare; quibus excitatus herus lethargicus, mirari incipit, se extra domum in nuda humo, sine famulis, sine ope, inter turbines et procellas destitutum, miseriamque suam vehementer, sed frustra deplorare nam fulmine ictus interit. Applicetur subinde parabola peccatori; nam vesper hanc vitam; villa locum, in quo otio et luxu vacat; servus corpus; lethargus sociordiam in salute procuranda; prædones mortem et Diabolum; campus vallem Josaphat; tempestas iudicium extremum; fulmen ultimam sententiam: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, denotat. Unde facile apparet, quam miser sit peccatoris status.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Consideratione dignissima est miraculosa illa mutatio, quæ in unico momento circa bonum latronem facta fuisse noscitur, qui pedem suum Paradiso ante S. Joannem Baptistam intulit, qui prædicando dixerat: «Appropinquavit Regnum cælorum;» imo et ante S. Petrum, cui claves cæli consignatæ fuerant a Christo, qui porta cæli erat: «Ego sum ostium;» primus omnium mortalium sibi dici audivit: «Hodie mecum eris in Paradiso.» Et tamen quis est, qui ipsum vitam suam inter continuata atrocissima traduxisse ignoret? Imo paulo ante simul cum

suo criminis et supplicii collega Redemptorem nostrum blasphemaverat. (MANST. tr. XLI. disc. I, n. 7.) Quam difficultatem Sanctus Ambrosius movet, dicens: Videamus, cur tantorum criminum reus, tam cito a Salvatore Paradisum promeretur, cum alii multorum temporum lacrymis, frequentibusque jejuniis vix delictorum suorum veniam consequantur. Inter alias vero subitanæ hujus conversionis causas, quas adducit, una est, quia iudicium finale vivaciter apprehendendo compunctus, postulavit veniam, nec tamen ideo subito Paradisum sibi donari aut dolores et cruciatus, quibus angebatur, mitigari sibi petiit, sed solum in die finalis iudicii, bonam sui memoriam haberi rogavit. Devotione fidei, inquit præfatus Sanctus Doctor, tam repente mutatus est, ut presentem poenam despiceret, ac de futuro veniam precaretur, et magis crederet utile sibi esse de æterno iudicio petere, quam de temporali supplicio supplicare. Reminiscens enim scelerum suorum, et penitudinem generis, plus incipit dolere, quod sperat, quam sentire, quod patitur; potuit enim, nisi de futuris amplius cogitasset, qui in Christum semel crederet, de presenti magis supplicio deprecari. S. AMBR. v. V, s. XLIV, de *S. Lat.*

Prima omnium vice, qua calamus Spiritus Sancti ad exarandam nobis Scripturam se movit, Deum nobis simul non solum ut Creatorem totius universi, verum etiam ut iudicem ob oculos statuit, dum ait: «In principio creavit Deus cælum et terram.» Ubi, ut Cajetanus et alii observant, in Hebræo, loco Deus, hæc dictio *Elohim* ponitur; subdit vero idem Cajetanus: Appropriate utitur hoc nomine, significat enim Deum, quatenus iudicem. Quamobrem vero Spiritus S. ab initio, dum vix universum creatum fuisset, Deum nobis immediate ob oculos tamquam iudicem statuit? In promptu causa est, inquit idem Cajetanus, ut unus atque idem Deus creator Creatori Mundi, et iudex universorum. Voluit nimirum increata Dei sapientia a prima nostrum productione, imo ab ipsis Mundi primis natalibus, firmam iudicii extremi insinuare memoriam, ut illud continuo in mente et corde nostro haberemus insculptum. MANST. d. II, n. 2.

De S. Elia Propheta legitur, quod, dum in spelunca delitesceret, inde a Deo egredi jussus fuerit: «Egredere, et sta in monte coram Domino, et ecce Dominus transit, et

spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras. » Simul tamen aliam vocem audivit, Dominum in impetuoso vento minime esse presentem: « Non in spiritu Dominus. » Post hunc vero ventum, ingentem quandam audivit commotionem: « Et post spiritum commotio. » Nec tamen in hac commotione Dominus aderat: « Non in commotione Dominus. » Post hanc vero commotionem, comparuit ignis: « Et post commotionem ignis; » sed neque in igne Deus erat: *Non in igne Dominus.* Et post ignem sibilus auræ tenuis, moxque vocem audivit Dei: « Et ecce vox ad eum. » Hugo de S. Victore historiam hanc nostro adaptans propositio, inquit: « Ecce præambulos Dei Spiritus, commotionem et ignem; non venit Dominus ad te, nisi prius isti veniant. Spiritus est terror Judicii æterni, qui si in cor peccatoris impigerit, et montes superbiæ dejicit, et petras duritiæ dissolvit, sed hic nequaquam Deus esse dicitur, quia anima, quam adhuc timor perditionis afficit, nondum perfectæ charitatis dulcedinem sentit. Post Spiritum commotio sequitur, quia terrore Judicii concussa mens, mox a sua stabilitate movetur. Post commotionem vero ignis sequitur, quia post anxietatem futuri sæculi, adversus se sapiens animus, ardore compunctionis inflammatur. Postremo igni sibilus auræ lenis succedit, quia post longa compunctionis incensia purgata mens, afflata Spiritu, consolationis refrigerium sentit. Huc. DE S. VICT. t. III, *Miscel.* l. XI.

In Exodo, dum vestes sacerdotales a Deo ordinabantur, simul etiam præceptum fuit, ut in earumdem extremitatibus certa quædam tintinnabula suspenderentur: Deorsum vero ad pedes ejusdem tunice per circuitum, quasi mala punica facies ex hyacintho et purpura, et cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis. Per hæc autem tintinnabula Origenes prædicationem intelligit, ministerio Sacerdotali annexam, simulque eorumdem situm vel posituram observat, quia illa circa extremitatem corporis, id est, circa pedes, pariterque in extremitate vestis appendi volebat ad pedes ejus, ad denotandum, quod præcipuum prædicationis sacerdotalis argumentum tangere debeat ultimum et extremum Judicii diem; sic enim ingentem in animabus effectum producere poterunt. Et hæc tintinnabula, quæ semper sonare debent, in extremo

vestimento sint posita, ideoque credo, ut de extremis temporibus et fine mundi numquam sileas, sed inde semper sones, inde disples, et loquaris, secundum eum qui dicit: « Memor esto novissimorum, et non peccabis. ORIGENES, hom. XIX, in Exod.

S. Antoninus considerans, quod, sicut Deus in mundo Omnipotentiam suam manifestavit in productione creaturarum, in Incarnatione vero et justificatione peccatorum Misericordiam suam; ita quoque conveniens sit, ut manifestet pariter in toto mundo Justitiam suam; siquidem hæc proprie est dos illa, quæ gloriosum illum principem facit, et dignum Judicem, quia in lib. Sapientiæ, cap. 1. dicitur: « Diligite Justitiam, qui judicatis terram. » Justitia autem Dei in hac vita in multis rebus abscondita latet, ac proinde, cum ad illam pertineat, ut boni præmientur, mali que castigentur, sæpe tamen in hac vita omnino experimur hujus contrarium; unde deploramus justorum persecutiones, et oppressiones pauperum, et de impiorum prosperitate plurimum scandalizamus. S. ANTON. tit. XXIV, *Sum. Theolog.* XI, §. 2.

S. Bonaventura multa refert horribilia signa, quæ Judicium sunt præcessura. Etenim primo die, mare 15 cubitis elevabitur super altitudinem montium, persistens hoc modo solidum et constans instar muri validi. Secundo die, iterum adeo profunde subsidebit, ut videri vix possit. Tertio die, monstra marina super maris superficiem se erigentia horrendos edent inugitus. Quarto die, succendatur mare et bulliet, eodemque die quævis alia aqua ardebit. Quinto die, herbe et arbores humorem quemdam scaturient sanguineum. Sexto die, omnia ædificia solo æquabuntur, et perfectam facient plantitiem. Septimo die, omnes petrae allidentur ad invicem, et confringentur in octo partes, et quilibet partium allidetur ad alteram. Octavo die, erit quidam terræmotus adeo horrendus, ut omnia animalia simul cum hominibus prosternantur in terram. Nono die, montes et colles complanabuntur, omnesque redigentur in pulverem, fiet universa terra plana et æqualis. Decimo die, egredientur omnes, qui in cavernis terræ latebant, et tamquam insani discurrunt, ne loquetur unus ad alterum. Undecimo die, omnia mortuorum ossa resurgent, sequæ monumentis levabunt, quæ omnia aperientur, ut cadavera restituant. Duodecimo die,

stella e celo decident. Decimotertio die, omnes in vita supersites morientur, ut in societate aliorum resurgere possint. Decimoquarto die, celum et terra conflagrabit. Decimoquinto die, fiet cælum novum, et terra nova, et resurgent mortui secundum virtutes, merita et demerita. Tandem vero idem Seraphicus Doctor, concludendo discursum suum, dicit omnia hæc signa, velut citationes quasdam, futura esse, quibus omnes judicandi invitabuntur ad Judicium. Ista signa erunt quædam peremptoria citatio, et terribilis, cum executione sententiæ, sine omni excusatione ad Judicium vocatio. S. BONAV. tit. IX, *Diet. c. unic.*

Sanctus Antoninus ex Sancto Gregorio ita scribit: Si quis, quis te accusabit, dico, *totus mundus*; offenso enim Creatore offenditur totus mundus. Idem quoque auctoritatem citat D. Chrysostomi, dicentis: In illa die nihil erit, quod respondeamus; ubi cælum et terra, aqua, luna, et sol, et dies, et noctes, et totus mundus stabunt contra nos ad accusandum. Quod si terra, inquit idem Sanctus Doctor, ratio esset prædita, utique in illa die reprobis dictura esset: Ego super me hosce reprobos sustinui, videntes illi subministravi herbas, elegantes flores, fructusque suavissimos, multa in illorum commodum nutriti animalia, variaque et pretiosa e visceribus meis produxi metalla, ut communi Creatori servientes, gratos se exhiberent; illi vero omnibus hisce in ejus sunt abusi offensam, ac proinde merito a me absorberi merentur. Aqua pariter dicere posset: Ego peccatoribus servivi ad temperandum ardorem, et restinguendam illorum sitim, ad abluendas corporis et suppellectilis ipsorum sordes; Sacramentis materiam exhibui, ut exinde a peccatis purificarentur; dedi eis marium commoditatem, ut ex una provincia ad aliam navigare, mercæque suas devehere possent; pisces quoque in cibum illorum generavi et nutriti; at ipsi in malum usi sunt, et ideo a me submergentur. Aer pariter opponere poterit: Ego hisce impiis per continuam respirationem, vitam subministravi, dedi illis phlyas opportunas, variarumque avium ingentem multitudinem; et quia Conditorum suum et nostrum non cognoverunt, in me suspendantur, suffocentur. Ignis similiter objiciet: Quia sine meo calore victuri non fuissent, et tamen usui meo fuerunt ingrati, ex me accendantur et perpetuo ardentes, consum-

mentur nunquam. Sol, luna, et stella, et cæli cælorum, dicent: Quia lumine nostro non sunt usi ad querendum lumen æternum, eo privati, perpetuis tenebris oeculentur. S. ANTON. p. IV *Sum. tit. XIV. c. II. §. 15.*

Mater mea femina sancta erit, inquit S. Augustinus, orationibus, jejuniis, aliisque devotionibus plurimum dedita; sed vae etiam laudabili vite hominum, si remota misericordia, clementia et pietate Deus discutiat eam. In illa namque die non solum nobis rationes reddendæ sunt, quomodo virtuose operati fuerimus, an scilicet convenientibus et debitis cum circumstantiis, verum etiam bonum illud examinabitur, quod facere negleximus. (S. AUG. l. IX *Conf. c. xv.*) Ita enim meditatur S. Bernardus: Quis considerare valeat, quanta mala per momenta perpetravimus, et quanta bona facere negleximus? Sicut enim peccatum est perpetratio mali, sic delictum est desertio boni.

S. Bernardinus hæc verba: « Venite, benedicti! » considerans, in hos affectus prorupit: O vox omni iucunditate ac suavitate repleta, qui intuantur ad visionem, ad possessionem, ad fruitionem totius Sanctissimæ Trinitatis! Primo irritat eos ad glorificationem, dicens: *Venite.* Venite, inquam, ad me fontem vite indeficientem, ad me lucem gloriæ vivificantem, ad me torrentem voluptatis inebriantem, ad me plenitudinem ubertatis inundantem! S. BERN. tom. I, s. XI, et art 2, c. III.

S. Gregorius verborum illorum: *Cogitationes justorum, judicia*, sensum sic declarat: Accedunt ad secretarium Judicis intra sinum cordis, considerant, quam districte quandoque feriat, qui diu patienter expectat, metuunt in his, quæ se egisse meminerunt, et puniunt flendo, quod perpetrassent se intelligunt. Ibi adversum se, quidquid se impugnat, enumerant. Ibi ante oculos omne, quod defleant, coæservant. Ibi, quidquid per iram districti Judicis decerni possit, intuantur. Ibi tot patiuntur supplicia, quod pati timeant; nec deest in hoc Judicio mente concepto omne ministerium, quod punire reos suos plenus debeat. Nam conscientia accensat, ratio judicat, timor ligat, dolor exercuat. Quod Judicium eo certius punit, quo interius sevit. S. GREG. l. XXV *Mor. c. VI.*

Mysteriis plena sunt verba illa Jobi: « Vitam et misericordiam tribuisti mihi. »

Ubi advertendum quod non dicat, animam et misericordiam, sed vitam et misericordiam, quia licet divina pietas animæ se associet, quamdiu hæc corpori huic unita est, non tamen, postquam a corpore resoluta erit, pietas enim et misericordia solum durat, quoad usque vita durat; non vero, quamdiu durat anima, quia post hanc vitam sine ulla misericordia examinabitur, quando iustus vix salvabitur, tunc enim opera illorum sequuntur illos. Valde igitur opportunum est illud S. Bernardi consilium, dicentis: Utilius et multo salubrius est, hodie audire cum consulente, consolante, docente, admonente, corripiente, increpante, quam in die illa tam amara, tam lugubri, audire iudicantem, indignantem, ulciscentem, severientem, condemnantem. In primis igitur ipsum auscultemus consulente, per inspirationes internas, quibus non instigat ad mores emendandos, ad terendam non solum latam præceptorum viam, verum etiam consiliorum semitam. Audiamus consolantem, id est, si modo injustas patimur persecutiones, si infirmitates toleramus, si paupertate divexemur, et calumniis, aures præbeamus Christo promittenti nobis, quod tandem aliquando venturus sit dies ille, in quo nos, et opera nostra liberaliter remunerabit, dicendo suave illud verbum « Venite, benedicti, etc. » Auscultemus docentem, dum per verbum suum prædicatum et scriptum nos erudit, qualiter ipsum, misericordie operibus mediantibus, propitium nobis reddere valeamus. Audiamus admonentem per superiores, confessores, prædicatores, librorum spiritualium lectiones. S. BERN. de Ver. Abac.

Animam aliquam amore Dei ferventer ardere, ex nullo evidentiori indicio colligere possumus, quam si ignem, qui iudicem præcessurus est (Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus) nequaquam timeat, eo quod alius quidam ignis longe ferventior, id est, amoris divini, in ejus corde vehementer ardeat, de quo scriptum est: « Deus ignis consumens est. » Unde S. Augustinus ait: Quisquis fiduciam habet in die Judicii, non timere debet ne veniat dies Judicii; date operam, intus agite vobiscum, ut desideretis diem Judicii, aliter non probatur perfecte charitas, nisi cum cœperit ille dies desiderari; ille autem cum desiderat, qui fiduciam habet in illo;

ille autem fiduciam habet in illo, cujus conscientia non trepidat in charitate perfecta atque sincera. Porro ad acquirendam hanc puram conscientiam, ad accendendum in corde charitatis ignem, ad excludendum omnem Judicii timorem, nullum est efficacius medium, quam si quis continuo de futuro Judicio cogitet. S. AUG. tr. ix in Ps. xvi.

Nota passim omnibus est illa nuptiarum parabola, ad quas illos Rex invitari præcepit, qui in exitu viarum deprehendebantur: « He ergo ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias. » Miserat quidem et alios servos, ad invitandum alios, sed sine ullo subsecuto fructu; in his autem nullam reperit resistantiam, quia hi, qui de novissimo Judicio, de ultimo hoc fine, deque reddendis ibi rationibus continuo cogitant, semper reperiuntur dispositi, qui veste nuptiali charitatis ornatu, nuptiis assideant Sponsi coelestis, dicente Alberto Magno: Illi sunt in exitibus viarum, qui mortem suam jugiter prospiciunt. Tales dignos se efficiunt, ut ad Christi nuptias introire mereantur. Quicumque enim mortis suæ efficaciter recordantur (idem de Judicio generali dicendum, quod a particulari dependet) student esse continentes, patientes, obediētes. S. ALB. M. ser. LXXIV, in Dom. 10 post Pent.

S. Isidorus Pelusiota in quadam epistola, in eos, qui mysterium hoc tractant, credunt, nec controvertunt, ex alia tamen parte quasi ludus foret, in peccatorum tenebris caligant, acriter invehitur, dum ait: Absurdissimum meo quidem judicio illud est, eorum quidem, in quibus externi sapientes et Scripturæ Sacre inter se dissident, magnam rationem habere; eorum in quibus consentiunt, exiguam. Etenim Judicii extremi dogma, tametsi et rationi consentaneum, et justum, et ratione præditis congruens, atque a nobis, et ab ipsis confessum ac receptum sit, tamen paucos inducit, ut ea, que officii ratio postulat, faciant. Plerique enim (nec vero me quisquam iracundia commotum hæc dicere arbitretur) non secus ac si nec Judicium futurum sit, nec providentia ulla rebus præsit, atque humanas actiones conspiciat, velut in densissimis noctis tenebris ea faciunt, quæ faciunt. S. ISIDOR. PELUS. l. III, ep. xxxvii.

S. Antoninus inter cætera ait: Sciendum, Judicium illud fore justissimum. Cujus has

reddit rationes. Humanum pervertitur Judicium timore, cupiditate, avaritia, odio, et amore amicitias, vel consanguinitatis. Addit glossa tres alios defectus, scilicet imperitiam, seu ignorantiā, nimiam compassionem miseræ alterius, rigorem, severitatem; sed nihil horum poterit esse in Christo. Citatque auctoritatem S. Hieronymi, modum, quo iram et furorem huic Judicii inesse intelligi debeat, in hæc verba explicantis. Ira Dei non est concitati animi furor, ut nostra, sed justii supplicii constitutio. S. ANTON. p. IV, lit. xiv, c. 1, § 8.

Ecclesiasticus ait: « In fine hominis denudatio operum illius. » In fine, hoc est, ut multi exponunt, postquam vivendi finem omnes homines fecerint, et universale Judicium inceperit, et libri vitæ singulorum explicati fuerint, ubi tunc nudabuntur ejusque opera. Notate: Tabernam nundinariam nobilibus, unaque pauper obeunt. Ille divite vestitu, hic vulgari, lacero, sordido amictu. Institutum Publicani scrutinium, quantum quisque ferat. De nobili hand dubium, quin æstimet, tam venire auro argenteoque onustum, quam amictu, et corporis habitu est splendidus; inopem vero præter centones suos, et obsoletos pannulos nihil conferre. Cum ad rem veniunt, et quemque seorsim explorant, plurimum se lapsos judicio inveniunt; quem enim opulentum existimabant, illum pauperem et absque nummis reperiunt, solaque exteriori specie, quam ostentabat, fulgentem; quem vero inter mendicabula recensebant, apud hunc nullum deprehendunt in paupere vestitu assummentum, quod non sit scutato, aut purissimi auri ducato infertum. Quis hoc sibi persuasisset? Tale quid est, quod dicit Sirach: « In fine hominis denudatio operum illius. » Multam in hac vita fraudem oculi patiuntur hominum, et plurimam errant hominum judicia. Sed cum ad emporium Judicii universalis appulerint, detegenturque, et expendentur mores singulorum, tunc intelligetur, quantum aberrarint; quos enim hic admodum sanctos putarant, eos fuisse insignes peccatores videbunt, et fuisse sanctos, quos suspicabantur improbos. DR. NYS. § 3, ser. II, post Dom. 1 Quadrages.

Ob id dicebat S. Ambrosius: Sunt multa facis illita, quæ luce purgantur tua. O Deus, quam multa habet hæc vita, quot vitas hic mundus facis imbutas, accersito et peregrino ornatu lectas, et quam necesse habemus, ut lux universalis Judicii tui adveniat, ut que sit facta, aut pieta, quæ sincera, et integra sanctitas palam fiat! Duas per compita videas mulieres, ambas formæ et vestitus elegantia præstantes, una propriis, altera commodato acceptis monilibus onetatur; una suam sibi mundum ex urbe Granatensi, vel a Turcis comit, alteri Deus liberaliter impertivit, et suam absque vicinorum, aut vicinarum subsidio accepit venustatem. Qui neutram novit, utramque divitem et formosam censet, nec emendatam aliunde formæ gratiam ab alterutra cogitat, nec inter veram, mentitamque elegantiam discernit. Hoc est, quod ait D. Ambrosius: Sunt multa facis illita. Est plurima animarum elegantia vera et sincera, est etiam plurima facta; est nitor genuinus, est simulatus et fictus. Discrimen justum hic statuere inter corussatum, et solidum, inter apparens, seu larvatum, et genuinum, verumque non valeamus; in obscura hujus vitæ nocte positi sumus. Verum, ubi Deus supremi Judicii incem acenderit, ibi singulorum ora, vultusque patentia cernemus, et qualis quisque fuerit, intelligemus. Quæ luce purgantur tua. Ibidem.

Apud Davidem, ubi de ratione agit, qua Deus omnes homines judicabit, hæc æquus hic Juxta ait: « Cum accipero tempus, ego justitias judicabo. » Ps. LXXIV, 3. Cui dicto S. Textus hæc mox subjeit: « Liquefacta est terra, et omnes, qui habitant in ea. » Quidam non vulgaris eruditionis auctor inquit: Quo sensu dicitur, quod colliquescent eam terra omnes incolæ, quando ad judicandum Dominus veniet? Respondet appositissime in rem nostram, metaphoram subesse dicto, sumptam a monte, quem nix, quantus est, operit; dum ita est, ut sæpe in partibus, et in totis frigidioribus regionibus accidit, non lapides ab arboribus, nec itinera a cavernis secernuntur, contingente omnia nive, donec sol æstivans, tepidiorque aura illam solvat, et cujusque rei speciem nudet, atque ostendat. In supremo mundi die tale quid eveniet. Liquefacta est terra, et omnes, qui habitant in ea. Tunc enim Sol justitiæ divinus liquefaciet nivem, hoc est, auferet larvas, vela detrahet, quæ veram agnitionem vitæ ejusque occultabant, itaque luculente, et distincte, qualis quisque fuerit, intelligemus. Ibidem.

Quærent nonnulli, cur de Christo venturo

Judice Malachias dicit: « Orietur vobis timentibus nomen meum. Sol justitiæ, » et respondent, id fieri ad differentiam hujus materialis solis, a quo illuminamur; quoniam si hic sol tantum tribuit malo, quantum bono, Christus e contra faciet, quia tunc quemque pro meritis suis patefaciet, distinctionemque personarum faciet, et improborum virtutem flagitia detegit, proborum vero virtutes manifestabit, et suo quisque pretio estimabitur, et veritas conspicua fiet. Itaque ut a corporeo sole secernatur, qui eodem modo omnes habet, Christus Judex *Sol justitiæ* dicitur. In hac cogitatione fuit doctissimus P. Franciscus de Ribera, in ea verba Prophetæ sic commentatus: Dicitur in die Judicii Christus *Sol justitiæ*, quia claritatem suam et lætitiæ reddet justitiæ, id est, sanctitati, quæ ante obscurata erat laboribus, et calamitatibus, quibus justifligebantur, ac si mali essent. Ibi plurimas videbimus detectas fraudes; ibi fient explorata, quæ olim dubia; Ubi intelligemus, quibus artibus acquisitæ facultates; qua integritate definita lites, pronunciate sententiæ; qua ratione officio suo Palatinus satisfecerit; quomodo Rex subditorum suorum profectus et emolumenta curavit; quomodo Episcopi necessitatibus pauperum succurrerint; denique ibi videbimus, quomodo aliorum quisque muneris sui partes expleverit, et quis rerum suarum sategerit. Ibidem.

Dilectus Discipulus vidit quondam suum Magistrum specie tam formidabili ac terribili, ut exanimi similis ad pedes ejus prolapsus fuerit: *Cum vidissem eum*, inquit ipse, (Apoc. 1, 17.) *cecidit ad pedes ejus tanquam mortuus*. Quid fuit in divino Magistro, quod tantum horrorem iniecit tam chari discipuli generoso pectori? Quid illi sic omnem fregit et ademittit animum, ut tanquam vita ac sensibus destitutus coram eo, quem loquentem audiebat, cornerit? Magna, haud dubium, tam magni terroris causa fuit. An forte præferentem manu flagra vidit, ut propterea violentum illius rigorem formidaret? Nihil tale vidit. Quid ergo habebat in manibus Dominus, quod metu tam vehementer Joannem perculit, tantumque non examinavit? Ipse hoc exponit, inquit: « Et habebat in dextera sua stellas septem. » Ibid. vers. 16. Itane vero, quod stellas in manibus ejus vidit, contremuit. Si vidisset vibrantem radios, stringentem gladios, in-

tentantem lanceas, nihil miraretur; at quid in stellis, illustrissimis et jucundissimis illis sideribus vidit, quod eum in tantas angustias compingere potuit? Lauretus, Antonius Ricciardus, Petrus Berchorius, Joannes a S. Geminiano, et alii plures aiunt, stellas esse symbolum gratiarum, quibus Deus animarum exornat, et lucis, qua eam perfundit. Quod si ita est, quid mirum, quod Joannem in confinia mortis adduxit stellarum intuitus? Servis enim Dei nihil parem tremorem adfert, ac beneficia Dei, dum secum attenti reputant, strictissimas eorum rationes olim coram summo, et equissimo, formidabilissimoque tribunali reddendas. Idem, § 1, *Dom. 1. Ado.*

Hinc proposito opportunum est ænigma quoddam gladii, qui ad cotem oleo tinctam oleam acuitur, cum hac adscriptione: Lenimine acutior subaudi, redditur. Quis leni oleo obtusum exacui posse ferrum cogitasset? Id vero in illo supremo die primum insigne fiet, oleum namque misericordiarum, et gratiarum, et donorum, quibus hic a Deo perfusi, ac delibuti fuerunt ingrati peccatores, acuet tunc ejusdem indignationem, inflammabitque iram, ut gravius supplicii eos maeret, qui oleo beneficiorum deliniri noluerunt, ut ad vitæ melioris studia converterentur. Ibidem.

S. Epiphanius de augustissima colorum Regina ait: Ipsa est nubes tonitruiformis, quæ fulgur interius in utero gestat. Neque hoc affirmasse satis arbitratus, etiam ex Canticis sententiæ suæ suffragium accersit, inquit: Sermoni meo attestatur divina Scriptura, dum ait: « Venter tuus aerivas frumenti, vallatus liliis; » (Cant. vii, 2.) velut dixisset: Quod Maria nubes sit, quæ alvo sua fulgur complectitur, quis dubitet, quando sacrum oraculum perspicue affirmat, uterum illius persimilem cum albicantibus liliis obsepti? Hinc autem fit, quod illa fulgor apud se habeat? Imo vero aliud quidvis potius inde consequi videtur. Quid enim amabili tritico et formidabili fulguri? Quid ignibus illis coelestibus cum albicantibus liliis? Admirabilis fuit hæc de re, et percommoda presentis causæ Divi Epiphani sententia. Quid enim? Nonne Maria in utero suo acervum tritici coronatum liliis habuit, quod tempore in castissimis suis visceribus Filium Dei gestavit, illum omnibus gratis refertissimum, quibus mundum cumulaturus erat? Nonne in alvo sua benedicta portabat triti-

cum, ex quo tota animarum alimonia conficienda, et panis ille pensendus, qui de seipso aiebat: « Ego sum panis vivus, qui de celo descendi. » Joan. vi. 41. Non est, qui hoc nesciat. Dicit ergo nunc Epiphanius: Ex hoc posteriore illud prius necessario conficitur, estque hæc infallibilis consecutio, Maria panem de celo in alvo gestabat, ergo fulgur; portabat lilia, itaque ignes, fulgur interius in utero gestat. Quia in illo extremo ultimi Judicii die quid misero atque ingrato peccatori erunt dona, quæ hic illi Deus plenis manibus affudit, nisi iræ illius fulgetra? Quid dulcis panis temporalium beneficiorum, nisi ignis æternorum suppliciorum? Quid lilia gratiarum male expensarum, nisi materia flammarum sempiternarum? S. EPIPHANIUS, *de Laud. Virg.*

Dionysius Uticensis ait: Illic et querens multum fructum ferentes, diuturniorem hyemem fore significant. Mirum prognosticon: Itane vero abundantiores earum arborum fructus certo indicio sunt hyemis et prolixioris, et molestioris? Quid ea res nobis portendit, nisi ut omnes, quotque Deus suarum gratiarum fructibus cumulatur et oneratur, admoneatur, magno studio, diligenter ac sollicitè animadvertere, quomodo in animarum suarum usum, et tam munifici Domini officia recte illius beneficia vertant; nam pro gravitate munerum non bene curatorum, erit magnitudo penarum, et multum fructum ferentes diuturniorem hyemem significant. DION. UTICENSIS, *I. de Agric. c. iv.* Quod luculentioribus verbis S. Greg. hom. 9, sic expressit: Dum crescut dona, rationes etiam crescut donorum, et ponderibus gratiarum acceptarum, et neglectarum, paria erunt pondera cruciatuum.

Probrisissima morte defunctus fuerat Dominus noster, jamque in vitam gloriosius redierat, et totos quadraginta dies adhuc exegit in Mundo, antequam in colum abiret, crebro inviscens Apostolos, et quæ de Regno colorum illos scire oportebat, docens: « Quibus et præbuit seipsum vivum post Passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apprensus eis, et loquens de Regno Dei. » Ita S. Lucas, Act. 1, 2, 3. Hic cuius vel mediocriter docto dubitare in mentem venit, cur Dei Filius non statim a morte ad Patris sui dextram ascenderit, cum mox, ut in vitam rediit, possessionem solii gloriæ adire merito debuisset videatur? Cur ergo suum ascensum in diem quadagesimum

suspendit? Cur tam diu procrastinavit? Respondet sacer Ravennatum Archiepiscopus, S. Petrus Chrysologus verbis quam præclaris, ac gravibus, tam commodis et rei presentis, et nostræ institutioni, dicens: Christus quadraginta diebus residet, et remoratur in terris, et si dici fas est, Patris occursum differt, Patris suspendit amplexum, donec totum se revelet, et reformet suæ ascensionis in gloriam. Hæc ille, serm. 85. Admirabilis loquendi modus! Pendite in his illud diligenter, quod dicitur, donec se revelet, et reformet suæ ascensionis in gloriam. Eratne in Christo quidpiam, quod reformari vel deberet, vel posset? Et qua ille preparatione opus habebat, ut Patris dextram peteret? Quid totos in hanc rem quadraginta dies expendere necessarium erat, ut Patris occursum differret, et suspenderet amplexum, quoad usque tot dies suæ reformationi, et preparationi dedisset? Nil habebat Christus, quod reformari deberet, quod emendatione egeret, nec ulla illum a celo retardabat necessitas; differrebat tamen ascensionem, ut pulcherrimum nobis relinquere documentum. Nam si ille, qui nulla opus habebat reformatione, et quoad omnia perfectissimus, consummatissimusque erat, se formare videtur, et perpolire, priusquam Patrem adiret; qui tam multa habet, quæ plurimum requirunt reformationem, et emendationem, et emundationem, multa, quæ plurimam desiderant circumspectionem, quomodo is audebit coram illo apparere? quomodo tot peccatis onustus, tot flagitiis prægravatus et contaminatus, adire tribunal Judicis, qui, tametsi nunc patienter ferat, et conniveat, et dissimulet, demum tamen tam non parcat, sed pro severioris justitiæ ratione in illum acerrime vindicabit, et gravissima supplicia decernet? S. PETRUS CHRYS. s. LXXXV.

Felici reliquorum suorum operum prognostico primam æd creaturis produxit Dominus lucem. Dixit Deus: « Fiat lux! Et facta est lux, et vidit Deus lucem quod esset bona. » Gen. 1, 3, 4. Animadvertite, et considera diligenter locum hunc, inquit Oleaster, qualiter non sat fuerit Deo lucem pulcherrimam creare, nisi et eam, postquam condita erat examinet. Quæ de manibus Dei prodeunt opera, ea integritatis suæ, et perfectionis suæ secum adferunt contestationem. Car ergo lucem Dominus tam studiosè circumspexit, tam curiosè arbitratus fuit, tam diligenter consideravit? Quid navè, quid obsca-

ritatis in luce esse poterat? Quid nobis illa disquisitione significare voluit? Respondet Oleaster: Existimo, hoc mihi dicere velle, ut examinem, et discernam ego tenebras meas, siquidem ille tam studiose examinat lucem suam. Judicio ergo laborare probat, qui non tota diligentia, omnique sollicitudine ad futurum Dei Judicium se comparat, quando et Judex ipse suo exemplo pramonstravit, quid hac in re agere debeamus, si justitiam illius evadere, et effugere vindictam volumus. OSENTER, apud Nyss. l. c.

Neronem, Romanæ narrant historia, Consulibus et Senatorum Principibus persuasisse, ut, posito tantisper supercilio, missisque seris, larvas subirent, et in Caesaris gratiam, Romano in foro saltum histrionicum duerent. Armata fuerunt Caesaris preces, quibus adacti Seniores larvas deridiculas induunt, in forum prosiliunt, choreas agunt, verum medio in saltu submissi a Nerone satellites, personas saltatoribus detrahunt, et senatoriam producunt levitatem. Quod dedecus tam grave confusus accidit, ut nonnulli pudore exanimati corruerint in mortuos, alii perpetua rotati amentia, non prius respicere coperint, quam vivere desierint. Quantus ergo pudor, furor, timor, in die Judicii peccatores occupabit, cum præsertim membra illa, quibus abusi contra Deum et naturam sunt, turpissima et stigmatica videbunt, ut velut in viva tabula, omnia legantur scelera? HARTINCK. *Conc. rust. in Dom. Advent.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Josue septem diebus cum Arca circumbat muros civitatis Jericho, tuba clangens, quod figura erat Judicis; nam et tunc ante quam mundus per lunam (quam Jericho significat) figuratus pereat, sol et alia sidera, que sunt militia celestis, ipsum insolito cursu circumibunt, signaque dabunt. Jos. vi.

Cor sapientis in dextera illius, et cor stulti in sinistra ejus, ait Salomon, quia justus omnia sua cogitata refert ad dextram Judicis ac Dei gloriam; stultus vero cogitationibus ad sinistram se vertit. Eccl. xx, 2. De minimis non curat Prætor, aiunt juriste; sed vel maxime Deus, quia, teste S. Bernardo, nihil inscrutum relinquet oculis ejus. S. BERN. s. LV, in *Cont.*

Si duo folia sumantur, et in altero quidpiam aqua, in altero quid succo citri scribatur, nihil quidem in utroque apparebit, sed si ad ignem applicentur, multa in posteriore, nihil in priore folio scriptum reperietur; sic se res cum conscientia justorum et injustorum habebit, nam in illa, quia per aquam tribulationum scribitur, nihil in Judicio mali apparebit; plurima autem peccata in conscientia malorum legentur. IXCHIX. p. II, c. v.

QUANTITAS. — Cum Philippus II, Hispaniarum Rex duos e magnatibus in templo garrientes vidisset, et post rem divinam ad conclave rediens dixisset ad illos: Vos in conspectum meum amplius non venite! Adeo hæ voces illos turbant, ut alter mærore sensim contabuerit, alter stupido similis in omnem vitam manserit. Ad quem effectum illa Christi verba: *Discedite a me, maledicti!* producent? DREX. *In Trib.*, cap. IX, l. II.

Recte ratiocinatus est S. Fulgentius: Si sanguinarius Herodes timuit infantiam in feno cubantis, quanto magis timere debemus omnipotentiam judicantis? S. FULG. s. v de *Epiph.*

Ubi Joseph dixit fratribus: Ego sum Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægypto, non potuerunt respondere, nimio terrore perterriti. Quid dicent peccatores, si Christum in Judicio dicentem audient: Ego sum Frater vester, quem vos crucifixistis, et vilissimo peccati pretio toties vendidistis? GRAN. in *Loc. Com.*, f. 823.

Hæretici quidam accepta mortis sententia, ne in publicum prodire cogerentur, sibi ipsis mortem consciverunt. Quam acerbum erit coram toto mundo damnationis sententiam audire? Ibid.

UTILITAS. — Asina Balaam viso muerone Angeli, retro cessit; nam visa Judicis romphæa, peccator ad scelera progreditur? NUM. XII.

Rex Sicambrorum Basanes in insignibus suis nudum ensem cum laqueo habebat, addita epigraphe: *Discite justitiam mori!* Ps. VII, 18. Ita Deus gladium et arcum, teste David dicente: Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, et paravit illum.

Hosius, Episcopus Cordubensis, ad Constantinum Imperatorem coercendum scripsit: Desine, memineris te mortalem esse, reformida diem Judicii, serva te in illam diem

purum, ne te misceas Ecclesiasticis. BESSÆUS, in *conc. l de Judic.*

Anchoreta quidam interrogatus, cujus libri lectione potissimum teneretur? Nullius, respondit, nisi trifoliaris, cujus folio nigro moneretur mortis; candido beatitudinis; rubro judicis. Ibid.

Myssenie mulieres hoc uno timore a seipsis perimendis abstinebantur, quod propalatum fuerit, eas nudas ad sepulchrum rapiendas. PLUTARCH. de *Instig. mulier.*

Ludovicus, pius Imperator, cum anno octingentesimo trigesimo septimo cometa appareret, sciens, his fere signis mortem Principum portendi, dixit: Non alium timere debemus, præter illum, qui nostri et hujus sideris Creator est. Sed ejus clementiam non satis laudare et imitari possumus, qui nostram inertiam, cum simus peccatores et impenitentes, talibus iudiciis dignatur admonere. Quia ergo, et me, et omnes communiter hoc ostentum tangit, omnes pro posse ad meliora festinemus, ne forte misericordiam illo prorogante, et nostra impenitentia impediante, nos illa inveniamur indigni. His diebus noctem illam pervigilem duxit, et mane largissimas elemosynas pauperibus erogavit, Missasque, per quos potuit, celebrari fecit. Triennio post in lethalem morbum incidit, per dies quadraginta quotidie Eucharistiam sumpsit, thesaurum privatum pauperibus distribuit, rebelli filio injurias remisit, pectus cruce munit, Dæmones apparentes fugavit, et elatis in cœlum oculis spiritum Deo reddidit. BARON. an. 738 et 840.

AXIOMATA.

Non judicari vis? Te ipsum judica. DREXEL. in *Trib.* l. I, c. VII.

Amans de amante judicans, non judicatur. Judicio amantis nil indulgentius.

Nolite judicare, et non judicabimini. LUC VI, 37.

Qui timet judicem, cavet culpam. Judicis est recti, nec munere, nec prece flecti. BUCHL. V. *Judex.*

AUCTORES.

Jeremias Drexelius, in *Tribunali*.
Gabriel Inehimus, de *Noëssimis* p. II.
Petrus Canisius, tom. IV, de *Noëssis*.

Petrus Bessaens, de *Noëssimis*, p. V.
Philippus d'Outreman, in *Pædagogico Christiano*, p. I, c. VIII, §. te 7.

Ludovicus Granatensis, in *Locis Commun.* fol. 816.

Thomas Stapletonus, text. I, in *Dom. 1. Adv.* et text. IX, *Dom. 3, post Epiph.* et text. IV, *Dom. 4, post Pasch.* et text. VI, et VII, *Dom. 4. Pent.*

Mathias Faber, conc. III, IV, V, VI, VII, in *Dom. 1 Adv.* et conc. II, ac. III, in *Dom. 2 Adv.*, item conc. III, in *Dom. 3, et 4 Adv.*, iterum conc. VIII, in *Dom. 21, et conc. v, et VI, in Dom. 24, post Pent.*

Joannes Datreus, in *Locis Similib.* V. eod.

Josephus Langius, in *Polyonthe.* V. eod.

Joannes Major, in *Magno Spec. Exempl.* 5. eod.

Joannes Lopez, in *Epitome.* V. eod.

Jacobus Salianus, de *Timore Dei*, lib. p. null.

Gregorius Reb, in *Reg. Prud.* p. I, c. II.
Dionysius Carthus, de 4. *Noëssis*, a. c. XVI.

Ludovicus Granat. in *Duce Peccatorum* c. VIII.

JUDICIUM TEMERARIUM.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est actus intellectus, quo alienos mores et facta sine legitima auctoritate et causa judicamus; nam si constat de facto, et ex officio incumbat, illius correctionem suscipere, non modo non peccatur illud judicando, sed laudabilis etiam Justitiæ et Charitatis fraternalis actus exereetur. STAPLET. text. II, in *Dom. 1, post Pent.*

DIVISIO. — Dividitur in *Temerarium* et *Usurpatum* a Stapletono. *Temerarium* est, quando ob leves conjecturas et indicia actio aliena mala ac peccaminosa judicatur, et ab aliquibus *Detractio interna* appellatur, eo quod vere famam alterius in mente sinistre judicantis immutat; de qua Christus in Evangelio locutus est, dum dixit: Nolite secundum faciem judicare, sed rectum judicium judicate. Joan. VII, 24. *Usurpatum* vocat citatus auctor, quando quis de crimine quidem comperto, sed sine legitima auctoritate judicatur; ut si quis actum alterius malum ex odio, fastu, libidine reprehend-